



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 264. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite & custodite sicut scitis. v. 65.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Domine Iesu, ubi tu es ibi error non est. omnia enim in sapientia ordine & mensura facis quæ facis & fecisti: non ita Iudæi, non gentiles, non Mahometani, non denique Hæretici & Schismatici faciunt. Semper hierant corde: & nouissimus illorum error semper eis fit & nascitur priore peior. Paret hoc ex ipsismet Lutheranorum actis, patet ex Calvinistarum attemptatis. Benedictuses tu Domine, qui longe alio spiritu tuo Ecclesiam Catholicam regis, quam isti. Etsi enim persecutiones graues & insidias patitur tua Ecclesia sancta, illa tamen magis per has ipsas glorificatur, non infatuatur. Nuper cepit tentare ecclesiam falsa doctrina nomine Episcopi supposita, luctata est X. annos, cum falsis fratribus, gloriose vicit, duce Innocentio X. uti alias sub eius prædecessoribus, & potro sub eo qui nunc nos ducit Alexandro VII. vincet.

§. 264. *Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite & custodite sicut scitis. v. 65.*

Quasi diceret: Ecce manipulus militum præsto est, ite, facite; vel o Principes, militem stipendio ciuitatis si habetis bene est, ego Romanus non sum ita fatuus, uti vos: ego nolo ad id applicare militem Romanum, ut custodiant mortuum.

Domine Iesu Christe verum est verbum tuum quod peccatores commanducant linguas suas; ecce Iudæi & Pilatus rei mortis tuæ, ipsi commanducant se: se mutuo affligunt, se mutuo subsannant, sibi detrahunt, sibi inuicem nocent; mutuo gaudent de malis suis; sed non ita spiritus tuus operatur. iste facit, ut agnus accubet cum lupo, & ovis cum leone. Spiritus tuus efficit gaudium, pacem, caritatem, patientiam, prudentiam & dona, in quibus omnibus benedico te, quia istis ditas populum tuum quem elegisti, extra quem qui sunt, ecce isti commanducant se.

§. 265. *Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum. v. 66.*

Illi scilicet Iudæorum Principes accepta potestate à præside dicente: Ite, custodite cum applausu quasi certi de victoria super Christo excogitant alium modum quo Christum mortuum & in sepulchro clausum detinere valeant: quid ergo moluntur? muniunt sepulchrum custodibus circumcirca armatis, quasi Christi potentia vel non posset vel non auderet perfringere obices & ianuis clausis exire, spectantibus etiam & renitentibus militibus, & quidem cum gloria & triumpho. O cæci! Ite nunc & custodite quem antea reprobauistis & extra ciuitatem eiecistis. Frustra. Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.

Amantissime Iesu malitiose increduli Principes laborant ut tuam resurrectionem impediunt, unde quaque enim ponunt custodiam ad tuum sepulchrum,